*faciant. Ego verò, cur à novæ hujus* INSTITUTIONUM *editionis præconio abſtineam, cauſas habeo juſtiores. Nam libros quidem hos ipſos, pergratâ utilitate, & admirandâ dignitate, ſic apud omnes eminere ſcio, ut vereri cogar, ne, ſi eos verbulo commendare incipiam, lumen Soli mutuare velle exiſtimer. Quod autem labore ſtudióq; meo, ex Scholis jam decennalibus, acceſſit, ita comparatum eſſe animadverto, ut domeſtico teſtimonio efferri non debeat. Et malo igitur hoc, quicquid eſt, ſubmittere alieno judicio: bonorum maximè, & juris peritorum, qui legum fontes ſic biberint, ut ex propinationis guſtatu, de genuini ſaporis certitudine judicare queant. Quos & rogatos volo, ut, ſiquid, in Notis præſertim iſtis, errore inquinatum deprehenderint, candidè fideliterq;, in gratiam tùm mei, tùm Studioſæ Juventutis, moneant: nec verò prius*